



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tyrocinium Artis Oratoriæ Sacræ Et Profanæ

Moine, Joseph

Solodori, 1714

17. De Historiis & Eruditionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68834)

re illas, quæ magis utiles fore videbuntur. Neque ordo supra positus ita necessarius est, ut non possint partes aliter collocari. Imò varietatis gratiâ, sicut non semper una dilatandi methodus est usurpanda, ita si quis Chriâ sæpius uti vellet, prodesset & in partibus assumendis & in earum ordine vi-ces mutare.

CAPUT XVII.

De Historiis & Eruditionibus

I. **N**UM etiam istis usus est in Amplifica- Historiæ.
 tione? Resp. Attendendum ad ingenium Auditorum, an ament historias & eruditiones, orationibus imixtas. Sunt regiones & urbes quædam, in quibus historiæ in orationibus, præsertim sacris, non admittuntur. Aliis contrà sine his oratio nimis arida videtur. Rudiori populo utiliter historiæ proferuntur, quia ferè facilius capit, retinet, ac sequitur doctrinas istis confirmatas. Consultissimum erit hac in re locorum consuetudinem & auditorum propensionem discere, seque illi conformare. Cæterùm utilitas historiarum inde maximè elucet, quòd ad eas audiendas humana curiositas suapte natura ducatur, dum interim licet oratori per eas, velut vivam morum picturam, liberiùs instillare quasdam veritates, &

& in aliis laudare vel carpere, quod in se argui auditor minùs æquo animo ferret. In aliorum exemplis suos mores spectabit, tangetur occultè, timebit similem ruinam, sperabit veniam, seque perculsum sentiet, dum soli voluptati auditùs indulgere cogitabat.

Quales in oratione.

II. Cujusmodi debent esse Historiæ, quæ in orationem introducuntur? Resp. 1. Probatissimæ ab auctoritate, & quæ veritatis speciem per se referant; indecens enim est veritatem falsis aut dubiis velle confirmare. Ut jam non dicam, quantum dubia aut incredibilia sacri oratoris existimationi derogent. 2. Paucae sint in eadem concione. 3. Appositissimè convenient argumento confirmando. 4. In iis recensendis observentur quatuor virtutes narrationis infra tradendæ, videlicet: Brevitas, Perspicuitas, Probabilitas, & Suavitas. 5. Una res non nisi semel narretur. 6. Si historia plures partes & eventus habet, omissis reliquis id solum afferatur, quod facit ad propositi confirmationem. 7. Etiam illi, qui aliàs ab historiis abhorrent, libenter audiunt ex S. Scriptura depromptas, si breviter allegentur, cum ferè pleræque notæ sint, & si argumento bene concordent. 8. Fabularum moralium narratio rara sit, nec nisi in loco, aut coram auditoribus, ubi illæ non ingratae sunt. 9. Parùm gratum est promittere, nos dicta per aliquam historiam, in fine proponendam,
con-

confirmaturos. 10. Prosopopœiæ quoque in
iis occurrentes sint breves, & plenæ sen-
tentiis.

III. Quid Eruditionis nomine venit? *Eruditiones.*

Resp. Ea omnia, quæ nec historiæ sunt,
nec doctrinæ, sed doctrinis vel inferen-
dis, vel confirmandis, vel exornandis oc-
casionem præbent. Huc igitur spectant
Symbola, Emblemata, Lemmata, Hie-
roglyphica, Ænigmata; Dicta ingeniosa,
arguta, festiva; Apologi; miranda natu-
ræ & artis, cujusmodi sunt proprietates
fluminum, regionum, montium, metal-
lorum, plantarum, gemmarum, anima-
lium, astrorum, & mille hujusmodi alia,
quibus clarissimos Oratores, ipsum etiam
Ciceronem, cum laude atque elegantia,
ufos fuisse videmus. Pleni sunt plurimi
libri talibus Eruditionibus, ex quibus
meliores adnotasse, & quem usum, aut
qua occasione habere possint, prævidisse at-
que adscripsisse profuerit, præsertim cogi-
tationes ingeniosiores.

IV. Quid denique circa Amplificatio-
nem animadvertendum? Resp. Plures alii
modi ab aliis traduntur, speciatim à P.
Schvvertfer in libello de hoc argumento e-
dito. Sed isti possunt sufficere consideran-
ti, & in libris versato. Qui noverit To-
tum in partes distribuere, & cuivis parti
pro-

propria explicare, habebit præcipuum hac in re negotium confectum. Si quis plura exempla desiderat, consulat tum alios, tum P. Nic. Caussini Eloquentiam sacr. & hum. qui ad finem L. 5. ordine Alphabet. varias elegantiores Ciceronis amplificationes indicat. Ego verò mihi alium adhuc fontem dilatationis uberrimum, L. 6. c. 2. & 3. aperiendum, reservo, ubi de Maggiore & Minore bono tractabitur.



LIB.